



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. editas

Luxemburgi, 1740

XXVIII. Indulgentia perpetua pro recitantibus Coronam Septem Dolorum B.
M. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74724)

tinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in pramissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum sub annulo Piscatoris die XVIII. Septembris MDCCXXIV. Pontificatus nostri Anno Primo.

XXVII. Conceditur Indulgentia perpetua & universalis omnibus Christianis recitantibus, ad signum Campanæ quod vulgo dicitur *V Ave Maria*, antiphonam *Angelus Domini* flexis genibus.

Hujus Const. ed. 1724. Septembris quoque 26. P. 1. Conceduntur etiam nonnullæ Indulgentiæ perpetuæ recitantibus coronam Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis. Et Clem. XI. Const. ed. 1701. Sept. 26. P. 1. conced. plen. perp. etiam per modum suffragii visitantibus S. Domum Lauretanam.

Dat. 26. Sept. 1724. An. 1. Fabrizio per la misericordia di Dio Vescovo di Porto della S. R. Chiesa Cardinal Paulucci della Santità di Nostro Signore Vicario Generale &c.

Exordium.

Concesso prædicta Indulg. plen. & universalis.

Aliæ Indulgentiæ conceduntur.

Es sendo stato commesso alla suprema Apostolica autorità del Sommo Pontefice Vicario di Nostro Signor Gesù Cristo in terra il dispensare i Tesori de' doni celesti, e considerando la Santità di Benedetto XIII., che sia un potente motivo per distribuire liberalmente i detti Tesori, quando si riconosce, che siano per essere molto profitevoli per accrescere la venerazione all' Augustissima Regina de' Cieli Maria sempre Vergine Madre di Dio per eccitare, & mantenere la divozione verso la medesima, e per la salute dell' Anime: Quindi e, che la Santità Sua confidata nella misericordia dell' Onnipotente Iddio, e nell' autorità de' SS. Apostoli Pietro, e Paolo, concede Indulgenza plenaria, & remissione di tutti li peccati universalmente, & in perpetuo a tutti li Fedeli li quali veramente pentiti, confessati, e comunicati in un giorno di ciaschedun mese a loro elezione recitaranno inginocchiati divoramente al suono della Campana la mattina, o a mezzo giorno, o vero la sera la solita Orazione *Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto - Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum - Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, e con la detta Orazione tre volte *Ave Maria &c.* E pregaranno il Signore per la pace, e concordia tra Principi Christiani, estirpazione dell' Eresie, e per l' esaltazione della Santa Madre Chiesa.

§. 1. Nell' altri giorni poi dell' anno concede la Santità di Nostro Signore parimente in perpetuo alli Fedeli, i quali veramente contriti diranno l' Orazione come sopra, ogni volta che ciò faranno, cento giorni d' Indulgenza; come più diffusamente si legge nel Breve Apostolico spedito il di 14. Settembre 1724. Dato dalla nostra solita Residenza questo di 26. Settembre 1724.

XXVIII Conceduntur nonnullæ Indulgentiæ perpetuæ recitantibus Coronam septem dolorum Beatæ Mariæ Virginis.

De simili concessione pro recitantibus flexis genibus Antiphonam Angelus Domini ad signum Cam-

panæ quod vulgo dicitur V Ave Maria, vid. hujus Const. præcedentem.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi vices licet immeriti gerentes in Terris spiritualium munerum Thesaurus, quorum dispensatores a Domino constituti sumus libenter erogamus, sicut ad fovendam, & incitandam fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus dilecti filii moderni Prior Generalis, & Procurator Generalis Ordinis Fratrum Servorum B. M. Virginis Nobis nuper exponi fecerunt in dicto Ordine juxta illius Institutum, & laudabilem, & antiquissimam consuetudinem in recordationem septem principalium dolorum quos Beatissima Virgo Maria Patrona, & Advocata Nostra in unigeniti sui Filii vita, & obitu passa fuit. Corona eorumdem septem præcipuorum dolorum, & septem septenariis Angelicarum Salutationum, septemque Dominicis orationibus una cum tribus aliis Ave Maria in honorem lachrymarum ejusdem B. M. V. composita recitari consueverit, eaque occasione profati etiam dolores explicentur, & meditentur, Nos ad augendam Christianidelium devotionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, ac supplicationibus eorumdem Prioris Generalis, & Procuratoris Generalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus & singulis utriusque sexus Christianidelibus, qui vere penitentes, & confessi, seu firmum confitendi propositum habentes in singulis feriis sextis ejuslibet hebdomadæ Quadragesimæ, & festivitate Septem Dolorum ejusdem Beatæ Mariæ Virginis ejusque tota octava, necnon in Ecclesiis Ordinis prædicti Coronam Septem Dolorum hujusmodi devote recitaverint ducentos dies pro qualibet oratione Dominica, & totidem pro quavis salutatione Angelica. In reliquis vero totius anni diebus centum dies, iis autem qui per se ipsos, aut cum socio, vel familiari ejusmodi coronam integre itidem recitaverint septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis penitentis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus: Præterea prædictis Christianidelibus, qui quotidie per integrum annum memoratam Coronam pariter recitaverint, & subinde vere penitentes, & Confessi, ac Sacra Communionem recepti pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno die per unumquemque ex eis eligenda lucri faciendam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, quam etiam animabus Christianidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus, & elargimur; Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 2. Volumus autem, quod Superiores Conventuum, seu Religiosi prædicti Ordinis, qui ab illis ad id specialiter deputati fuerint, Coronas hujusmodi benedicendi facultatem habeant, & ut supradictæ Coronæ nemini possint vendi, nec commodari, & si secus fiat, Indulgentiæ supradictæ cessent, nulliusque sint roboris, vel momenti, sed circa eas Decretum a fel. rec. Alexandro PP. VII. Prædecessore Nostro die 6. Februarii 1657. editum omnino servetur. Urque earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ec-

Dat. 26. Sept. 1724. An. 1.

Exordium.

Causæ præsentis concessionis.

Statuitur, ut Coronæ septem dolorum B. M. a suis Religiosis benedicantur.

clesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.
Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Septembris MDCCXXIV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXIX.

Conceditur Fratribus Ordinis SS. Trinitatis Redempt. Captiv. facultas nominandi Judices Conservatores in Conventibus Provinciarum Castellæ, Legionis, Navarræ, & Bethicæ.

Alias ab hoc Pontifice Const. ed. 1727. Febr. 26. P. 4. conceditur facultas Capitulo Generali ejusdem Ordinis, & Definitorio Generali ipsam celebrandi, necnon condendi Statuta & Decreta. Innoc. XII. ed. 1722. Aug. 24., P. 2. Conf. decr. Congr. Episc. & Reg. de Alternativa Vicariatus Gener. inter tres Provincias dicti Ordinis.

Dat. 27. Sept. 1724. An. 1.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ præsentis concessio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Attilanus Perez Procurator Generalis Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum in sacra Theologia Magister tam suo, quam dilectorum filiorum Fratrum Conventuum, Provinciarum Castellæ, Legionis, & Navarræ, ac Bethicæ nominibus, quod vacantibus potissimum, uti ex proprio instituto tenentur, eorum Religiosis Captivorum Redemptioni ex manibus, & dura Infidelium servitute tam in Asiæ, quam in Africa partibus, ac in opus tam pium Christifidelium, & Magnatum largitionibus, benedicente Domino, confluentibus, sæpius contigit, & non sine maxima eorum amaritudine in dies contingere solet, ejusmodi subsidia, ac etiam animos Religiosorum distrahi ob insurgentes lites, quæ tum eandem redemptionem, tum alia Religiosis negotia concernunt, eo quia illas in diversis Tribunalibus ad instantiam partium cum maximo dispendio, & incommodo prosequi coguntur.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Attilanus Procurator Generalis nominibus prædictis, quo vexationibus, & molestiis exinde imminutibus, quos non parum præjudiciales esse, tum ipsis Religiosis, tum incremento, & piissimi Instituti propagationi experientia satis docuit, tandem occurratur præmissorum intuitu eisdem Religiosis Judicem Conservatorum in posterum pro causis occurrentibus tam activis quam passivis non solum interesse Redemptionis eorumdem Captivorum in dictis partibus, quam aliud quodcumque eorumdem Conventuum concernentibus, coram quo absque tanto strepitu, dispendio, & circuitu decidi possint, nominandi facultatem a Nobis concedi plurimum desiderent, quemadmodum aliæ etiam religiones ex hujus S. Sedis benignitate, & signanter fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede ejusdem Redemptionis Captivorum pro diversis Provinciis indulgeri, & deinde in forma communi ad reliquas omnes ejusdem Instituti a rec. mem. Alexandro PP. VII. Prædecessore Nostro ad tenorem Constitutionum sel. rec. Clementis VIII., & Gregorii XV. Romanorum Pontificum pariter Prædecessorum Nostrorum indulgeri, ac Indultum hujusmodi extendi respective obtinuerunt. Nobis propterea dictus Attilanus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Attilanum Procuratorem Generalem alioque prædictos specialibus favoribus, & gratis prosequi vo-

Concessio præd.

lentes, & illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui eundem Attilanum Procuratorem Generalem super præmissis audiverunt consilio, ac attentis narratis eisdem Exponentibus, ut in posterum Judices Conservatores in supra citatis Conventibus ad formam Constitutionum earundem Clementis, & Gregorii Prædecessorum, & non aliter nominare possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Septembris MDCCXXIV. Pontificatus nostri Anno Primo.

Conceditur Ministro Generali Minorum Conventualium facultas erigendi Confraternitates Cordigerorum in iis etiam locis, in quibus Ecclesiæ Ordinis Minorum non existunt.

XXX.

De Ereptione Confraternitatis Cordigerorum, & facultate Ministro Generali eam in omnibus Ecclesiis Ord. Minorum erigendi, vid. Sixti V. Const. ed. 1585. Decemb. 29. P. 1. Et hujus Const. ed. 1725. Decemb. 10. P. 2. Confirmat. Const. Sancti Pii V. pro Fratribus Minoribus de participatione Privilegiorum Ordinum Mendicantium.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dat. 30. Sept. 1724. An. 1.

Ad futuram rei memoriam.

SACrosancti Apostolatus Ministerium, quod ineffabilis divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei altitudo humilitati nostræ nullis licet suffragantibus meritis per abundantiam cælestis misericordiæ, creditur, jugiter Nos admonet, & ut inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, eam peculiari sollicitudine amplectamur, qua Religiosorum Virorum Ordines in Militanti Ecclesia ad Divini nominis laudem, & gloriam, & fidei Catholicæ exaltationem sancte instituti, novis a Sede Apostolica privilegiis, & gratis decorentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Angelus Maria Sideri Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupator, quod dudum sel. rec. Sixtus PP. V. Prædecessor Noster per quasdam suas literas desuper sub Plumbo anno Incarnationis Dominicæ 1585. 9. Kal. Decembris Pontificatus sui anno Primo expeditas, in Eccle-

A Sixto V. Archiepiscopus Confraternitas Cordigerorum Assisi in dd. Fratrum Ecclesia erecta ac Magistro Generali facultas con-

fiam